Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 469
Quelle:
Copyright:

Annis bis binis mundo ſuppono ruinis,
Hoc vi nature, quod vult deus, hoc mihi dure
Eſſet narrare &c.

Itaque ſapit et nihil narrat, niſi quod in omnibus ejusmodi Vaticiniis legas, morbos, famem, terraemotus. Sub finem tamen:

Exurget ſecta quadam nouitate refecta,
Archimandrite fidei vix ſit mora vite,
Imperium titubans erit et rex vix ſtabilis ſtans.

Non expectavit Eventus a Magiſtro praedictos *Renaldus Juliaci* et *Geldriae* Dux IV. ſed anno 1423. obiit.

XII. *fol.* 199. *Sequuntur ſalutaciones ad beatam uirginem Mariam ſuper Pſalterium.* Pſalmi cujusvis tantum indicatur initium, quod excipiunt Rhythmi ad hunc modum:

Beatus Vir.

Ave uirgo lignum vite
Quod dediſti fructum (rite?)
Saluti fidelium.

Genuiſti Chriſtum ibeſum
Sed pudoris non eſt leſum,
Nec defluxit folium.

Quare fremuerunt. &c.

Simile quid habes in *Pſalterio Minori B. V. Mariae*, quod extat inter Opera *Bonaventurae* T. VI. edit. *Lugd.* 1668. p. 473. f.

CLXVII. VII 9. ii

559 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 139. 4. eleganter exaratus, rubricisque diſtinctus pertinuit olim ad *Monaſterium S. Marie alias Scotorum Wyenne.* Hermeneuticus eſt, complectiturque Sequentia: I. *Prefationem S. Jeronimi ſuper Interpretationibus Hebraicorum nominum*, quae incipit: *Non ſtatim ubicunque ex A littera* &c. et extat edit. *Vallarſ.* T. III. *col.* 3. Verum, cum ibi terminetur his verbis: *in interpretatione uariari*, in *Codice* ulterius ita procedit: *Quod de A. diximus. hoc ipſum quoque in S. littera obſeruandum eſt. Si quidem aput hebreos tres ſunt litterę. una quę dicitur ſamech. et ſimpliciter legitur quaſi per noſtram litteram deſcribatur. Alia Sin. in qua ſtridor quidam non noſtri ſermonis interſtrepit. tercia ſade. quam noſtrę aures penitus reformident. Sicubi ergo euenerit ut eadem nomina non ſimiliter ponantur. illud in cauſa eſt quod diuerſis aput hebreos*